



WYPISY
ŁACIŃSKIE

M. N. 38

NA KLASSE PIERWSZĄ

SZKÓŁ POWIATOWYCH.

[Dobolewski Ludwik]

Cena z okładką w papier kop. $7\frac{1}{2}$.

WILNO. U FR. MORITZA.

W drukarni B. Nenmana przy ulicy Sto-Jań-
skiej pod Nrem 451.

1827.



156144

Dozwala się drukować, pod tym warunkiem, by po wydrukowaniu nie zaczynając przedawać, złożone były w Komitecie Cenzury exemplarze tej książki: jeden dla tegoż Komitetu, dwa dla Departamentu Ministerium Oświecenia, dwa dla IMPERATORSKIEJ publicznej biblioteki, jeden dla IMPERATORSKIEJ Akademii nauk, i jeden dla Uniwersytetu w Abo.— Wilno dnia 21 stycznia 1827 r.

Cenzor, Radzca Stanu Ignacy Reszka.

D-254/81

I.

CWICZENIA GRAMMATYCZNE.

Forma I. przypadkowania.

1. Columba est 1) timida. Alauda est nuntia veris 2). Aquila est regina avium 3). Rosae et violae odor est gratus. Columbae insidiatur 4) accipiter. Ciconia grata est avis agricolae. Upupam crista ornat 5). In columba nulla est malitia. Fabula de columba et formica est nota 6).

1) est, iest, sum, iestem. 2) verę 3) avis. 4) insidiatur, czyni zasadzki. insidior. 5) ornat, zdobi orno. 6) notus, a, um, znaiomy, znany. nosco.

2. Forma et pennae pavonis 1) sunt 2) pulchrae. Leaenae jubâ carent 3). Plantae e terra proveniunt 4). Magna

est formicarum industria. Patria talparum nigrarum est Europa. Talpae sub terra habitant 5). Aquilae sunt 2) pennae nigrae. Balae-na belluarum maris est maxima 6); in cauda duas habet 7) pinnas, quae furcae formam efficiunt 8). Mustelae gallinas et columbas necant 9). Aspera est vita in silvis inter feras bestias. Muscae duabus alis pel-lucidis praeditae sunt. Aquilae nidificant 10) in petris.

1) pavo. 2) sunt, są. 3) carent, nie mają. careo.
4) proveniunt, powstają, wyrastają. proverio.
5) habitant, mieszkają. habito. 6) magnus, a, um, wielki. maximus, a, um, największy. 7) habet, ma. habeo. 8) efficiunt, tworzą. efficio. 9) necant, zabijają. neco. 10) nidificant, gnieźdzą się. nidifico.

3. Vera amicitia est sempiterna. Minerva est dea sapientiae. Vita rustica parsimoniae, diligentiae, justitiae magistra est. Vitemus 1) desidiam, inertiam, negligentiam, Ama 2) doctrinam, mado-

stiam, temperantiam. In fuga, foeda mors est, in victoria, gloriosa. De deabus Graecis et Romanis sunt multae ineptae fabulae. Certae divitiae sunt in sapientia, non in pecunia.

1) vitemus, chronmy się, unikamy. vito. 2) ama, kochay. amo.

Forma II. przypadkowania.

1. Cervus et agnus sunt timidi. Camelus odit 1) equum. Collum cameli et struthiocameli est longum. Cuculo non est proprius nidus. In Africa nec cervi, nec apri, nec ursi inveniuntur 2). Crocodilus ova parit 3). Bona auctumni sunt poma varii generis 4). Deus condidit 5) mundum. Bone Deus! quam varia sunt tua bona.

1) odit, nienawidzi. odi. 2) nec... inveniuntur, ani... nie znajdują się. invenio. 3) ova parit, jaja niesie. pario. 4) genus. 5) condidit, stworzył. sondo.

2. Pergami quotannis publicum spectaculum gallorum pugnantium 1) edebatur 2). Milvium iaquëis irretitum 3) musculus liberavit 4). Penati equi sunt figmenta populorum antiquorum. Populis Africæ sunt nigri et crispi capilli. Aurum est omnium metallorum pretiosissimum 5).

1) *pugnans*, potykający się, walczący. *pugno*. 2) *edebatur*, dawano, dawane było. *edo*. 3) *irretitus*, *a, um*, uwikłany. *irretio*. 4) *libero*, oswobadzam. 5) *pretiosus*, *a, um*, drogi, wysokiey ceny.

3. Cum viro improbo non est vera amicitia. Amici veri sunt optimi 1) thesauri in periculis. Verba benevola saepe sunt optima 1) remedia. Magistrorum et discipulorum officia sunt diversa. Pueros litterarum studiosos amant 2) magistri. Non refert 3) quam multos libros habes 4), sed quam bonos. Probatos libros semper lege 5). Vitia sunt causa omnium malorum.

1) *optimus*, *a, um*, najlepszy. *bonus*. 2) *amant*, kochają. *amo*. 3) nic na tém nie zależy, mniejsza o to, jak... Patrz w słow. *refero*. 4) *habeo*, mam. 5) *czytaj*. *lego*.

Forma III. przypadkowania.

1. Fames et sitis sunt molestae. Ovis est vestita 1) vellere. Color et odor rosae sunt grati. Maximum 2) animal terrestre est elephas. Leoni vis summa 3) est in pectore. Cameli diu famem et sitim tolerant 4). Elephas odit 5) murem et suem. Caro attingens est tenera praestantisque saporis. Vespertilio volatu solum avibus est similis: cetera 6) est animal quadrupes, formam referens 7) muris.

1) *vestitus*, *a, um*, odziany. *vestio*. 2) *maximus*, *a, um*, największy, *magnus*, *a, um*, wielki. 3) *summus*, *a, um*, największy. Patrz w słow. *superus*. 4) znośzą. *tolero*. 5) nienawidzi. *odi*. 6) z resztą. 7) *formam referens*, mające kształt, postać. *refero*.

2. Grues loca calidiora 1) petentes 2) maria transmittunt 3). Pelles leporem, media hieme sunt pilosissi-

mae 4). Halēcis fecunditas magna est. Alta sunt cacumina montium Helvetiae. Multi populi carne ferina, lacte et melle vescuntur 5). Saeva hiems est periculosa arboribus, animalibus et hominibus. In canibus magna est fidelitas, magna sagacitas narium et alacritas in venando 6). Bōum cervices ad jugum natae sunt 7).

1) *calidus, a, um. loca calidiora*, mieysca, krainy ciepleysze. 2) patrz w słow. *peto*. 3) *przebywają. transmitto*. 4) *pilosus, a, um*, włosisty, *pilosissimus*, najlepiej szerścią odziany. 5) *karmią się, żywią się. vescor*. 6) w myślistwie, w polowaniu. *venor*. 7) *natae sunt*, zrodzone, stworzone są. *nascor*.

3. Sunt in corpore praecipua pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas. Cerebrum, cor, pulmones, jecur, sunt domicilia vitae. Non omnia vulnera sunt sanabilia. Frequens exercitatio est mater dexteritatis. Agnitio erroris est dimidia emendatio. Felix improbitas, honorum est calamitas. Mors

est communis pauperibus et divitibus. Cani crines sunt indices senectutis. Distributio suppellectilis inter heredes est plerumque difficilis.

Forma IV. przypadkowania.

1. Habemus 1) quinque sensus: visum, auditum, gustum, olfactum, tactum. Solis exortus, cursus, occasus nemo admiratur 2), quod quotidie fiunt 3). Bestiis natura sensum et motum dedit 4), et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum: homini addidit 5) rationem. Non est vultui temere credendum 6).

1) *mamy. habeo*. 2) *nemo admiratur*, nikt się nie dziwi. *admiror*. 3) *staią się, dzieią się. fio. 4) dało. do. 5) przydało. addo. 6) non est credendum*, nie należy wierzyć. *credo*.

2. Cervi cornua quotannis amittunt 1). Canis est custos domus. Cornibus tauri, alia animalia morsu se tutantur 2). Dentibus usu atteruntur 3). Aestate matu-

rescunt 4) fructus. Rugitus leonis est
terribilis. Mare internum plurimos por-
tus habet 5). Non omnis aqua potui est
utilis.

- 1) traca, zrzucią. *amitto*. 2) *se tutantur*, bronią
się. *tutor me*. 3) ścieraią się, zjadaią. *attēro*.
4) dożyzewaią. *maturesco*. 5) ma. *habeo*.

5. Manuum et vultus lotio fit 1)
quotidie. In vestitu mediocritas optima
est. Status, incessus, sessio, vultus,
oculi, manuum motus tenent 2) decō-
rum. Homo bonus liber est affectibus.
Feris hominibus plerumque sunt vestes super-
genūa, et specus montium pro domi-
bus. Urbis Romae magnificentiam ange-
bant 3) porticus, aquaeductus et
arcus triumphales.

- 1) *fit*, dzieie się, odbywa się. *fit*. 2) patrz w słow.
pod *teneo*. 3) powiększały, pomnażały. *augēo*.

Forma V. przypadkowania.

1. Haec res tibi erit 1) pernicipi.
Quid hoc rei est? Dies diem trudit 2).
Vicissitudo diēi et noctis est hominibus

salutaris. Mundities est utilis. Glacies
est lubrica. Luxuries multos in per-
niciem trahit. 3) Meridiem versus sita
est Africa. Mors non est terminus nostrae
spēi. Hoc praeter spem evenit. 4) Bona
mea tuae mando fidēi. Fidem datam 5)
solvere 6) debemus 7).

- 1) *sum*. 2) Patrz w słowniku *trudo*. 3) ciągnie,
prowadzi. *traho*. 4) zdarzyło się, przytrafiło się.
evenio. 5) *datus, a, um, dany. do*. 6) Ob. w słow.
solvo. 7) powinniśmy. *debēo*.

2. Res humanae caducae sunt. Ut res
adversas, sic res secundas immoderate fer-
re 1), levitatis est. Rebus in omnibus ae-
quam servate 2) mentem. Diebus anni non
est aequa longitudo. Multi homines in diem
vivunt 3). Diem ex die nuntium exspecto
laetum. Perfectae eloquentiae speciem ani-
mo videmus 4); effigiem auribus quae-
rimus. 5)

- 1) *fero*. 2) *servo*. 3) żyją. *vivo*. 4) *animo videmus*,
myślą poymuiemy, w myśli wystawuiemy. *video*.
5) *quaero*.

*Czasowanie słowa Sum (iestem) i słów
z niego złożonych.*

1. Sum attentus. Es parcus. Homo quietissimus es. Est modus in rebus, sunt certi denique fines. Cnpressus Plutoni sacra erat apud vetēres. — Roma fuit caput totius orbis terrarum. Sumus membra corpōris magni. — Utinam domi essem! Prudens esto. Posthaec erimus cautiore. Omnis clamor et ira procul esto. Ut sementis fuērit, ita erit messis. Si vobis amici sunt, eis quoque benevōli este. Femīnae fuerunt, quae filiae regum, uxores regum et matres regum fuerunt. Hoc est commune vitium in magnis libēris civitatibus, ut invidia comes gloriae sit. Incertum est, quam longa vita cuiusque hominis futura sit.

2. Contentum suis rebus esse, maxīmae sunt divitiae. Quum adolescentēs sumus, sumus negligentiores; at, quum erimus senes, attentiores erimus. — Deo soli omnia nota sunt, quae nunc sunt, quae ante fu-

erunt et quae futura sunt. — Abs jam nimium diu, carissime frater! Nunc adeste! vestra enim praesentia erit necessaria. Fortasse idcirco abestis, ut sitis intuto. Nihil potest sine justitia esse laudabile. Dum aegrotō anima erit, ei spes vitae esse potest. Ei, cui deerit ingenium, praecepta nihil proderunt. Nisi tu mihi in meo gravi casu adfuisses, nondum tecum laetus esse possem.

3. Imagines amicorum absentium semper sunt nobis jucundae. Balnea calida prosunt aliis hominibus; aliis balnea frigida, quum homines sint diversae naturae. Nobis singulis annis notum est, quando defectiones solis et lunae futurae sint. Prodeste omnibus! omnes enim sunt liberi unius parentis. Convictus sapientum et bonorum hominum semper nobis plus proderit, quam bona praecepta. Calligulae juveni erat tam saeva natura, ut poenis hominum cupidissime interesset. Cervis frustra sunt ingentia cornua, quum eis desit

animus. Nunquam sapientibus viris dubium erat, quin probus honestusque homo beatissimus foret.

Forma I. Czasowania.

a) Czynna.

1. Aliena laudat, qui genus jactat suum. — Ex animo constamus et corpore. Cur me querēlis tuis exanimas? Deus mundum creavit. Ignavia corpus nostrum hebētat, labor firmat. Mors certe eos aequabit, quos pecunia separaverit. Nihil est tam sanctum, quod non aliquando audacia violēt. Nihil est, quod vires leonis desiderēmus, quum natura ratione nos ornavērit. Celebratote dies festos. Magno me metu liberasti 1). Graecia Romanos doctrinā superabat.

1) zam. liberavisti.

2. Multi negaverunt insecta spirare. Vacare culpā magnum est solatium.

Nihil est, quod non pertinaci opēra expugnes. Amygdālos ita planta, ut ad meridiem spectent. Vis virtutis tanta est, ut eam vel in hostibus nostris aestimemus. Amicos tibi compāra; eos autem, quos tibi comparaveris, non statim repudia. Aulus Pompejus quum in Capitolio deos salutasset, subito exspiravit. Quid aliud putēmus, quam cum gaudio exspirasse?

5. Amemus patriam; legibus obtemperemus. — Speremus, quae optamus. Providentia nihil oratione praestantius homini dedit. Juvit me tibi profuisse. Nulla pestis humano genēri pluris stetit, quam ira. Niinus, rex Assyriorum, imperium suum dilatavit, cum finitimis bellavit, ac totam fere Asiam usque ad terminos Africæ perdomuit. Alexander Magnus, quum urbem Thebas vastaret, vetuit, milites aedes deorum et alia loca sacra violare. In dolore de obitu fratris aut sororis multum adjuverit nos, si cogitaverimus, dolorem nihil profuturum. — Tanta vis est con-

scientiae, ut qui peccarint, poenam semper ante oculos esse putent.

4. Ipsa voluntas peccandi est poenâ digna. Arando noxias herbas agrorum extirpamus. Ira Sabinos excitavit ad bellandum cum Romanis. Deo erimus cari, illum rogaturi bonam mentis valetudinem. Deo juvante, omnibus nostris coeptis est prosper successus. Socrâtes laudabat has preces: „O Deus! da nobis orantibus ea, quae bona sunt; ea vero, quae mala sunt, nobis etiam orantibus denęga.

b.) Bierna.

1. Mundus providentia Dei administratur. Tempora mutantur et nos mutamur cum illis. Tu, qui te beatum putas, dies noctesque cruciaris. Homines si dira fame cruciantur, etiam crudâ carne delectabuntur. Vites apud priscos magnitudine inter arbôres numerabantur. Prima aetas mundi vocata est auręa. Epistôlae

tuae a me semper vehementer sunt expectatae. Quid laetamini, quod ab hominibus improbis laudemini, quos ipsi non potestis laudare. Ut amere, amabilis esto.

2. Recte Plato dicit: „Nemo prudens punit 1), quia peccatum est, sed ne iterum peccetur. Effice 2), ut ab omnibus et laudemur et amemur. Si Alexandro Magno vita longior data esset, ille totum orbem terrarum peragrasset, totumque perdomuisset. Certe Cnejum Pompejum Magnum tres sui consulatus tresque triumphi non affecissent 3) laetitia, si scisset 4), se aliquando in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri. — Lex erat Solonis: „Oratio qua laudantur ii, qui in proeliis necati sunt, quotannis eodem die recitator.

1) punio. 2) efficio. 3) afficio. 4) scio.

3. Justitia Aristidis maxime laudanda est. Lucrum cum mala fama appellandum est damnnum. Cicero fuit studiosissi-

mus bibliothēcae comparandae. Unum fuit, in quo Catonis humanitas desideraretur; nempe servos, ubi consensissent 1), vendendos esse putabat. Trojā a Graecis expugnatā et vastatā, Aenēas in Italiam venit 2). Cyrus, rex Persarum, gentem suam effeminatam molliē et luxuriā ad pristīnam virtutem revocavit. Nemo ante Sullam in gente Cornelia crematus esse narratur, sed ab hac gente servati sunt prisca rita corporum humanorum.

1) consensero. 2) venio.

Forma II. Czasowania.

a) Czynna.

1. Quid fies? Frigus arboribus nocet. Nulli sunt flores, qui semper florēant. Sol lucet interdū, luna splendet noctū cum stellis. Parentes carissimos habere debemus. Utinam meam domum veris amicis implēam. Aequum est, filium habere

bona, quae possēdit pater. Vulgare est dictum: Si tacuisses, philosophus mansisses. Caret periculo, qui, etiam quum est tutus, cavet. Qui bene impērat, paruerit aliquando necesse est 1).

1) necesse est, (ut) is aliquando paruerit.

2. Deus ita hominum naturam comparavit, ut aliena vitia melius videamus, quam nostra. Dum causa odii remanserit, etiam odium manebit. Ne irride calamitosum! tum enim aequum esset, utte quoque irriderent, si calamitosus esses. Id, quod ipsi vidimus, verum habemus. Nuntia mihi quam primum, quo die te visurissimus. Legibus paretote. Nulli invideto, alienis abstineto, et omnia, quae possides, possideto jure. Vetēres narrant, multos nunquam risisse, et alios nunquam flesse. 1) Quotidie nos ipsa natura admōnet, quam paucis rebus egēat. Majores nostri non erant infelices, etsi eorum testa nondum auro fulgebant. Sa-



piens habere optat amicum, ut in eo exerceat amicitiam.

1) zam. flevisse.

3 Julius Caesar, quum ei undique imminerent insidiae, eumque aliquis admoneret, ut sibi cavere, respondit: „Multo satius est semel in vero periculo esse, quam semper cavere. Quum duo fratres inter se dissidium haberent, Lacedaemonii patrem pecuniâ multarunt, quod discordiam non jamdudum prohibuisset. Silendo nemo peccat. Suadendo et dissuadendo jam multi sibi inimicitias conciliarunt. Maximum mihi est desiderium patriam videnti. Nos omnes valemus ad nocendum. Virtutes sunt divitiae semper mansurae 1). Darium, ultimum Persarum regem, agitabant per somnum species imminentiū rerum. Vidit enim castra Alexandri Magni fulgore collucētia, et paulo post Alexandrum eo ipso vestitu nitentem, quo ipse adhuc nituerat.

1) maneo.

b) Bierna.

1. Et monere et moneri proprium est verae amicitiae. Quis est tam durus ac ferreus, qui non miseriam innocentium commoveatur. Ille, qui aliis invidet, semper bonis aliorum torquebuntur. Vos frustra falsâ spe jam diu detinemini. Is, qui a multis timetur, multos timet. Mirum est, quantum in artibus assiduo usu exerceamur. Exitus multarum rerum saepe etiam a sapientissimis provideri non potest. Plurimi divites non possederunt divitias, sed ipsi a divitiis possessi sunt. Cato major decessit 1) triennio ante, quam Carthago deleretur. Quo plus indulgetur filiis uniceis, eo corruptior illis animus est.

1) decedo.

2. Homines plerumque pecuniâ moventur. Zopyrus, quum Socratem vituperavisset, a discipulis ejus derisus est. Causa est naturalis, cur quaedam stellae coeli a

nobis non videantur. Multis monemur exemplis, ne imprōbi homīnes honōre augeantur; nam si honōre aucti fuērunt, multis erunt perniciē. Exercenda est memoria. Saepe monendi sunt pueri, ne quid negligenter faciant 2). Censō, omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam esse. Julius Caesar ad retinendam Pompeji necessitudinem ejus filiam sibi in matrimonium petiit 3). Plinius narrat, Gaditanum quendam Livii nomine gloriaque commotum, ad eum videndum ab ultimo terrarum orbe in Italiam venisse. Feminae plerumque sunt lacrimarum movendarum peritissimae.

1) deridēo. 2) facio. 3) peto.

Forma III. czasowania:

a) Czynna.

1. Labor omnia vincit. Quid agitis, dulcissimi amici? Romani prisci agros studiose colebant. Sapientes viri iram di-

xērunt brevem insaniam. Nullum diem intermisi, quin ad te scribērem. Insanus omnis furēre credit ceteros. Parum succedit quod ago, at facio sedulo. Quidquid agas, agere pro viribus. Nil spernat auris, nec tamen credat statim. Uti sementem feceris, ita metes. Peto a vobis, ut vitae vestrae consulatis. Edimus, ut vivāmus, sed non vivimus, ut edāmus. Thebani, quum Laedemonios vicissent, aenēum tropaeum statuerunt. Ubi vitam honestam agis, illic ne recēde. Voluptatem fugite! illa enim tristitiam parit.

2. Artifici jucundius est pingere, quam piuisse. Vetēres tradunt, equum septuaginta quinque annos vixisse. Filiae Scipionis ex aerario dotem acceperunt, quia pater illis nihil reliquerat. Tuus amor in me se ostendit in iis litteris, quas a te accēpi. Vetēres tradiderunt, unam murem centum et viginti fetus genuisse 1). Pueri, si ceciderunt 2), terram

verberare consuevērunt. 3) Verum est, eum jam facere injuriam, qui facturus est. Ut veritas semper odium parit, ita nunquam etiam optimi sine criminatione vident. Parcitate temporis, quam nihil irreparabilius sit. Amicis succurritote! nisi enim hoc faciatis, mali estis homines.

1) gigno. 2) cado. 3) consuesco.

3. Peto a te, ne credas, me oblivione tui ad te tam raro scripsisse. Vedius Pollio servos suos, qui aliquid mali commiserint 1), objiciebat muraenis, quasi ipse postea esurus 2) erat. An quisquam potest esse eximius, qui propter suam voluntatem nihil nec acturus 3) sit unquam, neque agat, neque egerit. Novimus 4) Jovem 5), Iunonem, Minervam, Apollinem et reliquos deos ea facie, qua pictores fictoresque eos finxerunt. Quo major febris est, eo magis potio accendit sitim. Quapropter aeger discat, sitim protinus

quieturam 6), ubi febris conquieverit.

1) committo. 2) edo. 3) ago. 4) nosco. 5) Jupiter. 6) quiesco.

4. Saepe jam fuit, ut ignobiles homines clari evaserint 1) et ad summam dignitatem consurrexerint 2). Si quem amicum tuum existimas, cui non tantum credis, quantum tibi, vehementer erras, et non satis nosti 3) vim verae amicitiae. Non statim dic, quod videris, aut ab aliis accepēris. Assuefac, ut omnes tuas res cum ratione agas. Eas corporis actiones appellamus naturales, per quas spiritum trahimus et emittimus, cibum potionemque assumimus et concoquimus. Egisse 4) considerate pluris est, quam cogitasse 5) prudenter.

1) evado. 2) consurgo. 3) nosco. nosti *zam.* novisti. 4) ago. 5) *zam.* cogitavisse.

5. Comendo 1) augetur formam nostram. Brevitas tuarum litterarum me quoque breviorē in scribendo facit, Propensi

sumus non solum ad discendum, sed etiam ad docendum. Homines discunt nihil agendo, male agere. Cura bene et velociter scribendi est res, quam fere negligere consuevimus. Inter ludendum mores puerorum plurimum se detegunt. Consulturus 2) aliquem de rebus tuis respice primum, quo pacto ille rebus suis consuluerit; is enim qui negotiis propriis male prospexit 3), nunquam bene consulet alienis. Multi fuerunt qui tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerunt, et ad otium perfrugerunt. Servius Tullius adolescens, cornu suo cedente, signum militare rapuit, et in hostem eiecit, militesque id repetere iussit. Tiberius Gracchus Lusitanis dicentibus 4), se in decem annos cibaria habere, respondit: „Undecimo anno vos capiam.“ Haec verba perterriturunt Lusitanos, qui statim se tradiderunt.

1) como. 2) consulo. 3) prospicio. 4) pdk 3ci, zalezacy od slova *respondi*.

b) Bierna.

1. Impellimur naturâ, ut quam plurimis proximis. Inter convivia regum veterum, laudes deorum ad citharam canebantur. Non tibi, sed patriae natus 1) es. Curae cantu et musicâ minuuntur. Nos omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem. Sidon, urbs Phoeniciae, antequam a Persis caperetur, maritimarum urbium erat maxima. — Digni sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Laudari, coli, diligi gloriosum est. Summa est stultitia frustra confici moerore, quum intelligas nihil posse profici. Facilius intelligetur, a diis immortalibus hominibus esse provisum 2), si tota hominis fabricatio et humana natura perspecta erit.

1) nascor. 2) providéo.

2. Haud scio, an, pietate adversus Deos sublatâ 1), fides etiam et societas generis humani, et una excellentissima virtus,

justitia, tollatur. Semper aliqui aequi-
rendi sunt, quos diligamus, et a quibus
diligamur. Non assuescat puer sermoni,
qui dediscendus sit. Nihil in malis du-
camus, quod vel a diis immortalibus vel a
natura, parente omnium, constitutum
sit; non enim temere nec fortuito sati 2) et
creati sumus. Similitudo morum est vincu-
lum tenacissimum ad connectendas a-
micitias. Multi propter gloriae cupiditatem
cupidi sunt bellorum gerendorum.

1) tollo. 2) sero.

3. Noscitur ex socio, qui non cogno-
scitur ex se. Aristoteles tradit, in Latmo,
Cariae monte, hospites a scorpionibus non
laedi, indigenas interimi. Crudelis la-
crimis pascitur non frangitur.— Multi
in equis emendis adhibent curam, in ami-
cis eligendis negligentes sunt.— Romu-
lum Remumque cupido cepit, in iis locis,
ubi expositi, atque educati erant, urbis
condendae. A Roma condita usque

ad Christum natum sunt anni septingenti
quinquaginta tres.

Forma IV. czasowania.

a) Czynna.

1. Unde hoc scis? audivi a fratre
tuo. De malis nostris tu prius audis quam
nos. Probae merces facile emptorem repe-
riunt. Bene dormit, qui non sentit,
quam male dormiat. Veritatem dies a-
perit. Vos oro, ut verba mea attente au-
diatis. Quum obedire didiceris 1), im-
perare scis. Nescio, quomodo me ex haec
turba negotiorum expediam. Aestate ar-
dentius sitimus, et plus aquae hauri-
mus. Is paupertatem non sentiet, qui
se continebit intra naturalem modum. Na-
tura oculos membranis vestivit et sep-
sit.

1) disco.

2. Quum Athenis pecunia publica, quae ex
metallis redibat, largitione magistratum

quotannis interiret, Themistocles persuasit populo, ut eâ pecuniâ classis centum navium aedificaretur. Turpe est errare et nescire; sed quam bellum est fatēri nescire, quod nescias. Obeditōte aliis, ut vobis quoque alii obediunt. Non facile est quemquam invenire, qui non tradat alteri id, quod ipse sciat. Puēri dociles facile omnia percipiunt animo et memoriâ custodiunt. Sic vivite tanquam omnes audituri sint id, quod faciatis. Cleopatra maximum unguentum acetum solutum 1) hausit. Aegyptii mortuos non cremabant, nec sepe liebant.

1) solvo.

3. Ne ostende iram in puniendo. Semper est occasio legendi, non semper audiendi. Lycurgi leges juventutem erudiebant currendo, esuriendo, sitiendo, algendo et aestuando. Saepe vidimus greges mugientium vaccarum et hinnientium equorum. Optimus est orator qui dicendo animos audientium et docet, et delectat, et per-

mōvet. Livius narrat, tantas nubes locustarum aliquando a mari vento in Apuliam venisse, ut examinibus suis agros late operirent. Invenitū difficile est, quis primus littēras reperiērit; unde non mirum est, quod docti ea dēre non consentiant. Socrātes dicere consueverat, se edere atque bibere, quando esuriret atque sitiret; alios vero non esurientes edere, et bibere non sitientes.

b) Bierna.

1. Ubi vinum nimis bibitur, ibi omnibus vitii janua aperitur. Multo saepius in victoria reperimur crudēles et superbi, quam benigni et clementes. Suavi narratione efficies ut attente audiāre. Verba quae primum duravisa 1) sunt, usu molliuntur. Erudimini melius exemplis, quam praeceptis aliorum. Nunc audimus ea, quae antea vix audita erant. Multo pauciores oratores quam poetae boni reperientur. Haec lex in amicitia sanciat, ut neque rogemus

res turpes, nec faciamus rogati. Multi populi pellibus animalium vestiuntur.

1) videor.

2. Si corporis morbis jucunditas vitae impeditur, quanto magis morbis animi impediri necesse est! Justitiae fundamenta sunt, primum, ut ne cui noceatur, deinde, ut communi utilitati serviat. Solonis lex erat: Qui in bello occubuērunt, publice sepeliuntur. Romae lex erat: Nemo mortuus in urbe sepelitor neve uritor. Non facile quis reperietur, qui a Vespasiano insens punitus sit. Comparēmus nostram longissimam aetatem cum aeternitate, et in eadem propemodum vitae brevitate reperiemur, quā illae bestiolae reperiuntur, quae vix unum diem vivunt.

3. Lysander, quum Athenas obsidens divisisset, Sophoclem, vitam finisse eumque mox sepultum iri, inducias fecit et funeri pacem dedit. Constat, leges ad salutem civium et vitam hominum quietam inventas

esse. Praeceptores attentissime audiendi sunt. Natura homini ingenuit cupiditatem veri inveniendi. Quum res orationis inventae fuerint, recte collocandae sunt. Palpebrae aptissimae sunt ad claudendas et aperendas pupillas. Ut medici, causā morbi inventā 1), curationem esse inventam putant: sic nos, causā aegritudinis reperiā 1), leniendi facultatem reperiēmus. De aegritudine lenienda Cicero singularem librum scripsit qui in eius libris reperitur.

1) abl. absol.

*Wszystkie formy słów verba deponentia
zwanych.*

1. Jure consolamur spe meliorum temporum. Usus et experientia dominantur in artibus. Socrātes arbitrabatur, se esse mundi incolam et civem. Adhortāre te adversus omnia, quae accidere possunt etiam potentissimis. Quid consolaris me, quem consolari non potes?

Jocerne tecum, qui his temporibus joculari non possim? Tu, qui fortunae munera amplexaris, cogita quam caduca et dubia illa sint. Cupidi eloquentiae seligant oratorem, cuius eloquentiam imitentur. Cicero credidit, eum, qui orationem bonorum imitareretur, facta quoque imitaturum.

2. Culpa nostra non videtur tam gravis, si ipsi culpam fatemur. Quid me intuēris? Intuere habitum eorum, quos ira possedit, ut scias, eos non esse sanos. Cura id, quod polliceris. Tu omnia mea tuebere. A te petivi, ut me tuerere. Mali medici profitentur, se omnibus morbis mederi posse. Scio, te mihi saepe montes auri pollicitum esse. Homines mundam contuentes accedunt ad cognitionem Dei. Est adolescentis majores natu vereri. Apud veteres Graecos in conviviis post coenam lyra circumferebatur: cujus quum se imperitum esse Themistocles confessus 1) esset, ha-

bitus est indoctior. Non isto vivimus, quod tu rere, modo. Eos, in quibus virtutem esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Ad tuendam patriam nos omnes nati sumus.

1) confiteor.

3. Quis ei irascitur, cui medetur? Flentes amplectimur flentem amicum. Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur. Invidia bonos plerumque insequitur. Quis dulci cibo aut potione diu uti potest? Cum amico tuo tam audacter loquere, quam tecum. Nemo tam imperitus est, qui nesciat, sibi aliquando moriendum esse: lex enim est naturae, quae jubet nasci et mori. Virtutem qui adeptus 1) erit a nobis diligetur. Cato major, reversus 2) ad villam, cum servis suis eodem pane vesceretur. Naturam sequamur et omne, quod pravum est, fugiamus. Maximum est solatium in malis cogitare, id nobis ac-

cidisse, quod ante nos passi 3) sunt multi, multique passuri sint.

1) adipiscor. 2) revertor. 3) patior.

4. Sol universis idem lucis calorisque largitur. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. Reverere parentes, aemulare viros bonos, utere sapientibus, ne gloriari de opibus tuis, neu unquam mentire. Ordine omnia, quaecunque acturus es, a Deo, et, ut orsus es diem, ita etiam noctem ordiri debes. Nemo reperitur, qui studio nihil sit consecutus 1). Mater nutricem infanti eligat quae bene loquatur; hanc primum audiet puer, ejusque verba imitando effingere conabitur. Quid est, quod querere et mirare, si natura vitam a te repetit, quam ab illa accepas 2).

1) consequor. 2) accipio.

II.

BAYKI EZOPA.

1. *Vulpes et Laena.*

Vulpes laenae exprobrabat, quod nonnisi unum catulum pareret 1). Huic dicitur respondisse: unum sed leonem. Haec fabula non copiam, sed bonitatem rerum aestimandam esse docet.

2. *Mus, Rana et Milvius.*

Mus gerebat bellum cum rana. Pugna erat vehemens et anceps. Milvius hoc certamine procul viso 2), appropierat, dumque neuter sibi cavet prae studio pugnandi, utrumque rapit et laniat.

1) pario. 2) certamine viso, są to tak nazwane u Grammatyków ablativi absoluti, zamiast: quam milvius hoc certamen procul vidisset.

3. *Hoedus et Lupus.*

Hoedus stans in tecto domus lupo praetereunti maledixit. Cui lupo, non tu, inquit, sed tectum mihi maledicuit. Saepe et locus et tempus homines timidos audaces reddit.

4. *Mulier et Gallina.*

Mulier quaedam habebat gallinam, quae ei quotidie ovum pariebat aureum. Hinc suspicari coepit, illam auri massam intus celare et gallinam occidit. Sed nihil in ea reperit, nisi quod in aliis gallinis reperiri solet. Itaque dum majoribus divitiis inharet, etiam minores perdidit.

5. *P a v o.*

Pavo graviter conquerebatur apud Iunonem, quod vocis suavitas sibi negata esset, dum luscinia, avis tam parum decora, cantu excellat. Cui Juno, et merito, inquit; non enim omnia bona in unum conferri oportuit.

6. *Asinus et Cicadae.*

Asinus, cicadis canentibus auditis 1), suavi earum voce summopere est delectatus 2). Quam quum vellet aemulari, quoniam cibo, inquit, vesci 3) solētis ad huiusmodi vocem comparandam? Rore, responderunt cicadae: sed asinus dum rorem expectat, fame absumptus periit.

7. *Capra et Lupus*

Lupus capram in alta rupe stantem conspicatus, 4) cur non, inquit, relinquis nuda illa et sterilia loca et huc descendis in herbidos campos qui tibi laetum pabulum offerunt? Cui respondit capra; mihi non est in animo, dulcia tutis 5) praepone.

8. *Venter et Membra.*

Membra quondam dicebant ventri: nos-

1) ablativi absoluti, iam. quum cicadas canentes audisset. 2) delecto. 3) vescor. 4) conspicar. 5) Przy-

ne 1) te semper ministerio nostro alēmus, dum ipse summo otio fruēris 2)? non faciēmus. Dum igitur ventri cibum subducunt, corpus debilitatur, et membra sero invidiae suae poenituit 3).

9. *Mus et Milvius.*

Milvius laqueis irretitus muscūlum exoravit, ut eum corrōsis plagis 4) liberaret. Quo facto 5) milvius liberatus murem arripuit et devoravit. Haec fabula ostendit, quam gratiam mali pro beneficiis reddere solēant.

10. *Grus et Pavo.*

Pavo coram grue pennas suas explicans, quanta est, inquit, formositas mea et tua deformitas! At grus evolans, et

miotniki rodz. niakiego, osobliwie w liczbie mnogiej, używają się zamiast rzeczowników.

- 1) num. nos. 2) fruor aliqua re. 3) poenitet me alicuius rei, żalnię czego. membra przypadek 4ty. 4) corrosio plagis, zam. ut plagas corroderet eumque liberaret. 5) zam. quod quum factum esset.

quanta est, inquit, levitas mea et tua tarditas! Monet haec fabula, ne ob aliquod bonum, quod nobis natura tribuit, alios contemnāmus, quibus natura alia 1), et fortasse majora 1) dedit 2).

11. *Canis et Boves.*

Canis jacēbat in praesēpi, bovesque latrando a pabulo arcēbat. Cui unus boum, quanta ista, inquit, invidia est, quod non patēris 3), ut eo cibo vescāmur, quem tu ipse capere nec velis nec possis! Haec fabula invidiae indōlem declārat.

12. *Vulpes et Leo.*

Vulpes, quae nunquam leōnem vidērat, quum ei forte occurrisset, ita est perterrita, ut paene morerētur formidine. Eundem conspicata iterum, timuit quidem, sed nequaquam ut antea. Tertio illi obviam facta 3);

-
- 1) patrz na stronicy 37 przypisek 5ty. 2) do. 3) patigr. 4) obviam.fio.

ansa est 1) etiam propius accedere, eumque allōqui.

15. *Boves.*

Id eōdem prato pascebantur tres boves in maxima concordia, et sic ab omni ferarum incursione tuti erant. Sed dissidio inter illos orto 2), singuli a feris petiti et laniati sunt. Fabūla docet, quantum boni sit in concordia.

14. *Asinus.*

Asinus pelle leonis indūsus territabat homines et bestias, tanquam leo esset. Sed forte, dum se celerius movet, aures eminebant; unde agnitus in pistrinum abductus est, ubi poenas petulantiae dedit 3).

15. *Viatōres et Asinus.*

Duo qui unā iter faciebant, asinum oberantem in solitudine conspicali 4), accurrunt

1) audeo. 2) orior. dissidio orto, zamiast: quum dissidium inter illos ortum esset. 3) do. dare poenas alicujus rei, odnieść za co karę, bydź za co ukarany. 4) conspicio.

laeti, et uterque eum sibi vindicare coepit, quod eum prior conspexisset 1). Dum vero contendunt et rixantur, nec a verberibus abstinent, asinus aufūgit, et neuter eo potitur 2).

16. *Corvus et Lupi.*

Corvus partem praedae petebat a lupis, quod eos totum diem comitatus esset 3). Cui illi, non tu nos, inquit, sed praedam sectatus es, idque eo animo, ut ne nostris quidem corporibus parcēres, si exanimarentur. Merito in actionibus non spectatur, quid fiat, sed quo animo fiat.

17. *Pastōres et Lupus.*

Pastores caesa 4) ove convivium celebrabant. Quod quum lupus cerneret, ego, inquit, si aguam rapuissem, quantus tumultus fieret! At isti impūne ovem comedunt! Tum unus

1) conspicio. 2) potior aliqua re. 3) comitor. 4) caedo.

illorum, nos enim, inquit, nostra, non alienâ ove epulamur.

18. *Tubicen.*

Tubicen ab hostibus captus, ne me, inquit, interficite; nam inermis sum, neque quidquam habeo praeter hanc tubam. At hostes, propter hoc ipsum, inquirunt, te interimemus, quod, quum ipse pugnandis imperitus, alios ad pugnam incitare soles. Fabula docet, non solum maleficos esse puniendos 1), sed etiam eos, qui alios ad male faciendum 2) irritent.

19. *Mulier et Gallina.*

Mulier vidua gallinam habebat, quae ei quotidie unum ovum pariebat. Illa existimabat, si gallinam diligentius saginaret, fore, ut illa bina aut terna ova quotidie pareret. Quum autem cibo superfluo gallina pinguis

1) punio. 2) facio.

esset facta, plane ova parere desiit 1). Haec fabula docet, avaritiam saepe damnosam esse.

20. *Vulpes et Uva.*

Vulpes uvam in vite conspicata, ad illam subsiliit omnium virium suarum contentione, si eam forte attingere posset. Tandem defatigata inani labore, discedens dixit: at nunc etiam acerbae sunt, nec eas in via repertas 2) tollere. Haec fabula docet, multos ea contemnere, quae 3) se asssequi posse desperent.

21. *Mures.*

Mures aliquando habuerunt consilium, quomodo sibi a fele caverent. Multis aliis propositis, 4) omnibus placuit, ut ei tintinnabulum annecteretur; sic enim ipsos, sonitu admonitos, eam 5) fugere posse. Sed quum jam

1) desino. 2) reperio. 3) pdk 4ty liczby mnog. rodzaju niak. zalezacy od slowa assequi. 4) quum multa alia proposita essent. 5) eam scil. felim. fugere aliquem.

inter mures quaereretur, qui feli tintinnabulum annecteret, nemo repertus est. Fabula docet, in suadendo 1) plurimos esse audaces, sed in ipso periculo timidos.

22. *Lupus et Grus.*

In faucibus lupi os inhaeserat. Mercēde igitur condūcīt gruem, qui 2) illud extrāhat. Hoc grus longitudine colli 3) facile effēcīt. Quum autem mercēdem postularet, subrīdens lupus et dentibus infrendens, num tibi, inquit, parva merces videtur, quod caput incolūme ex lupi faucibus extraxisti.

23. *Agricōla et Anguis.*

Agricōla anguem repērit, frigōre paene extinctum. Misericordiā motus, eum fovit sinu et subter alas recondidit. Mox anguis recreatus vires recēpit, et agricōlae pro beneficio,

1) suadeo. 2) zam. ut is. 3) zam. oollo longo.

letāle vulnus inflixit 1). Haec fabula docet, qualem mercedem mali pro beneficiis reddere solēant.

24. *Mulier et Ancillae.*

Mulier vidua, quae texendo 2) vitam sustentabat, solebat ancillas suas de nocte excitare ad opus, quum primum galli cantum audivisset. At illae diuturno labōre fatigatae, statuērunt gallum interficere. Quo facto 3) deteriore conditione quam prius esse coepērunt. Nam domīna, de hora noctis incerta 4), famūlas saepe jam prima nocte excitabat.

25. *Formīcae et Cicāda.*

Formīcae hieme circabant fruges. Has audit 5) cicāda esuriens et orat, ut sibi paululum cibi impertiant. Cui illae, aestate, inquit, quaerere oportuit. Non vacabat, ait cicāda. Quid igitur, inquit

1) infligo. 2) texo. 3) Quod quum factum esset. 4) incerta naležy do domīna. 5) adeo. adire aliquem.

unt illae, faciebas? Cantabam, respondet. Tum illae: ergo hieme salta.

26. *Vulpes et Lupus.*

Vulpes irridebat lupum, in fossam lupariam delapsam ¹⁾ et circum fossae marginem laetabunda saltitabat, stolidum animal illum appellans, qui hominum fraudes non animadvertisset. Quum sic ergo gestiret, in fossam ipsa delapsa est ¹⁾.

27. *Cornix sitiens.*

Cornix sitiens reperit in urna aquae non multum. Sed erat urna profundior, quam ut aqua a cornice posset contingi. Conatur effundere urnam nec valet. Tum legit ex arena lapillos complures, quos in urnam delicit. Hoc modo aqua levatur et cornix bibit.

28. *Capra et Hoedus.*

Capra exiens in pascua monet hoedum, ne

¹⁾ delabor.

cui fores aperiat, dum redcat ipsa. Lupus, qui id procul audierat, post matris discessum pulsat fores, et aperiri sibi postulat. Cui hoedus, non aperiam, inquit; mater enim quemquam admitti vetuit.

29. *Asinus aegrotans.*

Asinus aegrotabat, fama que exierat, eum cito esse moriturum. Quum igitur lupi canesque venissent ad eum visendum, quaerentque ex filio, quomodo pater ejus se haberet; ille per ostii rimulam respondit; mellius, quam vellētis.

III.

Niektóre podania o ludziach sławnych w starożytności, zdania lub odpowiedzi mądre, dowcipne, żartobliwe i t. d.

1. Egregie Aristotèles ait, *nunquam nos perecundiores esse debere, quam quum de Deo agitur.*

2. Quidam interroganti, ubi Deus esset? respondit: *dic prius ubi Deus non sit.*

3. Thales interrogatus, an facta hominum deos latērent, 1) respondit: *ne cogitata quidem* 2).

4. Scipio Africanus nunquam ad negotia publica accedebat, autēquam in templo Jovis precatus esset 3).

1) *latet aliquid aliquem.* 2) scil. *latent eos.* 3) *precor.*

5. Anaxagōras philosophus, morte filii audītā 1), vultu nihil immutato dixit: *sciebam, me mortalem genuisse* 2).

6. Archytas Tarentinus, 3) quum ab itinere reversus, 4) agros suos villici socordia neglectos vidēret, *graviter te castigarem, inquit, nisi iratus essem.*

7. Xenocrātes philosophus quum maledicorum quorundam sermoui interesset 5), neque quidquam ipse loqueretur, interrogatus, *cur solus tacēret, respondit: quia dixisse me aliquando poenituit, tacuisse nunquam.*

8. Zeno adolescentulo inepta multaloquenti, *idcirco, inquit, aures habemus duas et os unum, ut plura audiamus, quam loquamur.*

9. Thales percontanti, quid esset difficile, *se ipsum, inquit, nosse.* Idem rogatus, quid esset facile, *alterum, ait, admonere.*

1) *ablat. absol.* 2) *gigno.* 3) *rodem z Tarentu miasta w niższych Wioszech:* 4) *revertor.* 5) *inter-sum alicui rei.*

10. Aristippus interroganti, quae potissimum adolescentibus essent discenda 1)? *quae viris, inquit, usui futura sunt.*

11. Epictetus interrogatus, quis esset dives? *Cui, inquit, satis est, quod habet.*

12. Plato cuidam narranti, esse quosdam, qui ipsum maledictis insectentur: *at ego, inquit, sic vivam, ut nemo istis habeat fidem.*

13. Diogenes interroganti cuidam, quam ratione posset optime ulcisci inimicum? *Si te ipsum, inquit, probum et honestum virum praestiteris 2).*

14. Thalès rogatus, quid maxime commune esset hominibus? *Spes, respondit; hanc enim et illi habent, qui aliud nihil.*

15. Bias, unus ex septem Sapientibus, quum patriam Priēnen 3) ab hostibus expugnatam et eversam fugeret, interrogatus, cur nihil ex bonis suis secum ferret, *ego vero, respondit, bona mea mecum porto omnia.*

1) disco. 2) praesto. 3) Priēne, miasto w Azji mniejszy.

16. Alexander quinquaginta talenta Xenocrati philosopho dono misit. Quae quum ille recusasset accipere dicens, sibi non esse opus, interrogavit: *an amicum haberet neminem, cui esset opus?*

17. Perillus unus ex amicis Alexandri, filiabus suis ab eo dotem petiit, quem rex capere quinquaginta talenta jussit. Quumque is respondisset, decem satis esse: *Tibi quidem, inquit, satis est, tantum accipere, non vero mihi tantum dare.*

18. Phocion innocens capitis damnatus, rogante quodam ex amicis, numquid filio suo mandari vellet? *Maxime, inquit; jubeo enim eum huius in patrem injuriae nunquam meminisse.*

19. Themistocles quum consuleretur, utrum bono viro paup̄eri, an minus probato diviti filiam collocaret: *ego vero, inquit, malo virum, qui pecuniâ egeat 1) quam pecuniam, quae viro 2).*

1) egeo aliqua re. 2) scil. egeat.

20. Socrātes interrogatus, qua ratione potissimum quis adsequi posset, ut apud homines honestam haberet famam: *Si loquatur*, inquit, *quae sunt optima, et faciat quae sunt honestissima* 1).

21. Idem uxori cum lacrimis exclamanti: ergone injuste morieris? *an tu*, respondit, *juste malles?*

22. Idem quum audisset hominem quendam male de ipso loqui: *nihil mirum*, inquit, *non didicit* 2) *bene loqui*.

23. Impröbo homini percontanti, quis esset inter Spartanos vir optimus 3), Agis respondit: *qui tui est dissimillimus* 4).

24. Quidam Atheniensis indisertus, sed factis strenuus, quum alius oratione facunda multa praeclare pollicitus esset 5): *Viri*, inquit, *Athenienses, quae iste magnifice pollicetur, ego faciam*.

25. Morituro Socräti Apollodörus pretiosum pallium in quo moretetur, obtulit 6).

1) honestus, a, um. 2) disco. 3) bonus, 4) dissimilis. 5) polliceor, 6) offero.

Cui Socrates: *numquid morienti mihi*, inquit, *non conveniet hoc, quod viventi convenit?*

26. Octavianus Augustus quaerentem de inopia et caritate vini populum severissime coërcuit voce 1): *Satis provisum a genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent* 2).

27. Quum garrulus quidam, multa nugatus apud Aristotëlem, tandem dixisset: *fortasse molestus tibi sum nugis meis: neutiquam*, inquit; *neque enim adverti animum*.

28. Agis Lacedaemoniorum rex audiens, quosdam horrere hostium multitudinem, ait: *non percontandum* 3) *est, quot sint hostes, sed ubi sint*.

29. Idem interrogatus quot haberet milites? *quot sufficiunt*, inquit, *ad fugandos hostes*.

30. Leonidas rex Lacedaemoniorum, quam

1) temi slowy. 2) sitio, 3) percontor.

Persae dicerentur sagittarum multitudine solem obscuraturi 1), respondisse fertur: *melius 2) itaque in umbra pugnabimus.*

31. Cuidam dicenti, maximum esse numerum hostium Laco respondit: *Tanto major erit gloria nostra.*

32. Spartanus quidam quum rideretur, quod claudus in pugnam iret 3), *at mihi, inquit, pugnare non fugere est propositum.*

33. Diogenes quum videret, Megarensium liberos nullis bonis artibus instruere, cum peccorum curam diligentem haberent, dicebat: *malle se Megarensis alicujus arietem esse, quam filium.*

34. Phocion Demostheni dicenti: *occidente te, Phocion, Athenienses, si quando coeperint insanire; Et te, inquit, si ad sanam mentem redierint 4).*

35. Samiorum legatis, longa oratione usis 5),

respondērunt Spartani: *prima 1) sumus oblitii 2), postrema 1) non intelleximus 3), quia prima non meminimus 4).*

36. Demōnax, quum vidēret quendam, veste sua gloriantem 5), prehensa 6) veste: *atqui, inquit, hoc ante te ovis gestabat, et ovis erat.*

37. Crates philosophus quum vidisset adolescentem in secessu ambulāntem, interrogavit, quid illic solus faceret? mecum, inquit, loquor. Cui Crates: *cave, inquit, ne, cum malo homine loquaris.*

38. Quidam, conspectā 7) tabulā, quae in pictura trucidatos 8) ab Atheniensibus Spartanos repraesentaret: fortes, inquit, Athenienses. Id Lacon audiens subjecit 9): *in tabula.*

39. Cicero Fabiae Dolabellae dicenti, se triginta annos habere: *verum est, inquit; nam hoc jam ante viginti annos audivi.*

40. Miser poeta praelegerat Theocrito ver-

1) obscuro. 2) bene. 3) eo. 4) redēo. 5) utor.

1) pdk 4. liczby mnog. rodz. niiak. 2) obliviscor. 3) intelligo. 4) memini 5) gloriar. 6) prehendo. 7) conspicio. 8) trucidō. 9) subjicio.

sius suos. Tum interrogabat, quosnam maxime approbaret? *quos omisisti* 1), respondit.

41. Diogēnes animadvertens quendam imperite jaculantem 2), proxime scopum cōsedit, et quum ex eo quaereretur, cur id faceret? *ne forte, inquit, ille me feriat.*

42. Idem aliquando Myndum profectus 3), quum videret portas amplas ac magnifice exstructas 4), quum oppidum esset exiguum: *Viri, inquit, Myndenses, claudite portas, ne urbs vestra egrediatur.*

43. Muribus ad Diogēnis mensam subrepentibus 5), *En, inquit, Diogēnes quoque parasitos alit.*

44. Bias navigabat aliquando cum hominibus imprōbis. Quum vero, tempestate exortā 6), navis quateretur 7) fluctibus, atque isti invocarent Deos: *silēte, inquit, ne vos hic illi navigare sentiant.*

45. Socrates cuidam querenti, quod peregrinationes sibi nihil profuissent 8): *nihil*

1) omitto. 2) jaculor. 3) proficiscor. 4) exstruo.
5) subrēpo. 6) exorior. 7) quatio. 8) prosum.

mirum, inquit; tecum enim peregrinabar.

46. Anacharsis interrogatus, quid esset in homine pessimum 1), et quid optimum 2)? respondit: *lingua.*

47. Antisthēnes audiens, ab imprōbis quibusdam se esse laudatum: *vereor, inquit, ne quid imprūdens mali fecerim.*

48. Quum quidam Agesilaum hortaretur, ut audiret hominem, qui mira arte luscinae vocem imitaretur, recusavit, *frequenter, inquit, ipsam audivi lusciniā.*

49. Quum homo quidam qui diu in uno pede stare didicerat, Lacedaemonio cuidam dixisset, *se non arbitrari, Lacedaemoniorum quemquam tamdiu idem facere posse,* ille respondit: *at ansēres te diutius* 3).

50. Socrātem ajunt, colāpho percussus 4), nihil amplius dixisse, quam, *molestum esse, quod nescirent homines, quando, cum galēa prodeundum* 5) esset.

1) malus. 2) bonus. 3) sc. idem facere possunt.
diutius, ad diu. 4) percussio. 5) prodeo.

51. Idem alio tempore, mirantibus amicis, quod a protervo quodam homine calce impetitus patienter tulisset 1): *Quid?* inquit, *si me asinus calcitrasset, num illi diem* 2) *dixissem?*

52. Cato percussus 3) a quodam, qui arcam ferebat, quum ille diceret: *cave!* rogavit: *num quid aliud ferret praeter arcam.*

53. Quum fur quidam, se excusans Demosthēni diceret: *nesciam tuum hoc esse: at tuum non esse, satis sciebas,* respondit.

1) fero. 2) patrz w słow. pod wyrazem *dies*. 3) percutio.

WYPISY

15.7.4.4395
[2]
Ł A C I Ń S K I E

NA KLASSE DRUGĄ

SZKÓŁ POWIATOWYCH.

[Sobolewski Ludwik]

 Cena z okładką w papier kop. 7½.

[Defekt: brak s. 55-2]

 WILNO, u FR. MORITZA.

 W drukarni B. Neumana przy ulicy Sto-Jan-
skiej pod Nrem 451.

 1826.

156144

Dozwala się drukować, pod tym warunkiem, aby po wydrukowaniu nie zaczynało przedawać, złożone były w Komitecie Cenzury exemplarze tej książki: jeden dla tegoż Komitetu, dwa dla Departamentu Ministerium Oświecenia, dwa dla IMPERATORSKIEY publiczney biblioteki, jeden dla IMPERATORSKIEY Akademii nauk i jeden dla Uniwersytetu w Abo. — Wilno dnia 11 października 1826 r.

Cenzor, Radzca Stanu Ignacy Reszka.

I. BAYKI EZOPA.

1. *Ursus et Apes.*

1. Ursus ictus 1) ab ape, tantâ irâ exarsit 2), ut alvearia, in quibus apes mellificaverant, unguibus discerpere. Tunc apes universae, cum domos suas dirui viderent, ursum invasērunt aculēis. Qui vix elapsus 3), secum dicebat: *quanto melius erat, unius apis aculēum tolerare, quam tot in me hostes iracundiâ meâ excitare.*

2. *Testudo et Aquila.*

Testudo aquilam magnopere orabat, ut sese volare doceret. Aquila ei ostendebat quidem, eam 4) rem petere naturae suae contrariam; sed illa nihilo minus instabat, et obsecraba

1) ico. 2) exardesco. 3) elabor. 4) testudinem scilicet.

aquilam, ut se volūcrem facere vellet. Itaque unguis arreptam 1) aquila sustulit 2) in sublime, et dimisit illam, ut per aërem ferretur. Tum in saxa incidens comminata 3) interiit 4). Haec fabula docet, multos cupiditatibus suis occoecatos, consilia prudentiorum respuere, et in exitium ruere stultitiâ suâ.

3. *Asinus et Equus.*

Asinus equum beatum praedicabat, qui tam copiose pasceretur, quum sibi post molestissimos labores ne palæae quidem satis praebetur. Forte autem bello exorto 5) equus in proelium agitur et circumventus ab hostibus, post incredibiles labores, tandem multis vulneribus confossus 6), collabitur. Haec omnia asinus conspicatus, *o me stolidum*, inquit, *qui beatitudinem ex praesentis temporis fortuna aestimaverim.*

1) arripio. 2) tollo. 3) comminuo. 4) intereo. 5) exorior. 6) confodio.

4. *Hinnuleus et Cervus.*

Hinnuleus quondam patrem suum his verbis interrogasse dicitur: *Mi pater, quum multo sis major canibus et tam ardua cornua habëas, quibus a te vim propulsare possis, quum 1) fit, ut canes tantopere metuas?* Ibi cervus ridens, *mi nate*, inquit, *vera memoras; mihi tamen, nescio quo pacto semper accidit, ut, auditâ 2) canum voce, in fugam statim convertar.* Haec fabula docet, naturâ formidolosos 3) nullis rationibus fortes reddi posse.

5. *Puer mendax.*

Puer oves pascens crebro per lusum magnis clamoribus opem rusticorum imploraverat, lupos gregem suum aggressos 4) esse fingens. Saepe autem frustratus 5) eos, qui auxilium laturo 6) advençrant, tandem lupo revera irruente 7), multis cum lacrymis vicinos orare

1) i. e. quomodo. 2) audio. *auditâ voce*, abl. abs. 3) eos, qui natura formidolosi sunt. 4) aggredior. 5) frustror. 6) fero. 7) irruo.

coepit, ut sibi et gregi subvenirent. At illi eum pariter ut antea ludere existimantes, preces ejus et lacrymas neglexerunt, ita ut lupus libere in oves grassaretur, plurimasque earum dilaniaret.

6. *Corvus et Vulpes.*

Corvus alicunde casum rapuerat, et cum illo in altam arborem subvolarat. Vulpecula, illum caseum appetens, corvum blandis verbis adoritur, quumque primum formam ejus pennarumque nitorem laudasset, *pol*, inquit *te avium regem esse dicem, si cantus pulchritudini tuae responderet.* Tum ille, laudibus vulpis inflatus, etiam cantu se valere demonstrare voluit. Ita vero e rostro aperto caseus delapsus est, quem vulpes arreptum devoravit. — Haec fabula docet, vitandas 1) esse adulatorum voces, qui blanditiis suis nobis insidiantur.

7. *Equus et Asinus.*

Asinus onustus sarcinis equum rogavit, ut

1) vito.

aliqua parte oneris se levaret, si se 1) vivum videre vellet. Sed ille asini preces repudiavit. Paulo post igitur asinus labore consumptus 2) in via corruit et efflavit animam. Tum agitator omnes sarcinas, quas asinus portaverat, atque etiam insuper pellem asino detractam 3), in equum imposuit. Ibi ille sero priorem superbiam deplorans, *o me miserum*, inquit, *qui parvulum onus in me recipere noluerim, quum nunc cogar tantas sarcinas ferre, una cum pelle comitis mei, cujus preces tam superbe contempseram* 4).

8. *Piscator.*

Piscator artis suae prorsus ignarus, tibiis ac retibus sumptis 5), ad mare se contulit 6). Supra scopulum itaque considens, primo quidem tibiis inflare coepit, putans nimirum pisces ad vocis suavitatem sponte in litus exundis prosulturos 7). Ast ille multum diuque

1) asinum sc. 2) consumo. 3) detraho. 4) contemno. 5) sumo. *retibus sumptis*, abl. absol. 6) confero. 7) prosilio.

conatus 1), ubi nihil se profecisse cognovit, tibiis sepositis 2) retia corripuit, iisque jactis 3), complures pisces cepit 4). Quos quum ille e rete subduceret, simul ac saltantes inspexit 5), *O pessima, inquit, animalia! quando tibiam inflabam, non saltabatis, et nunc, postquam destiti* 6), *saltatis*. De iis haec fabula loquitur, qui praeter rationem ac opportunitatem aliquid gerunt.

9. Agricola et Filii.

Agricola quidam, quum jam esset vita excessurus 7), suisque filiis quid agricultura posset, vellet demonstrare, convocatis 8) ipsis, *Filii, ait, jam ego e vita discedo; bona vero, quaecumque possideo, in vinea invenientis*. Illi itaque ibi thesaurum inesse rati 9), ejus obtinendi cupiditate permoti 10), post patris obitum, ligonibus, aratrisque humum

1) conor. 2) sepono. *tibiis sepositis*, abl. abs. 3) jacio. *iis jactis*, abl. abs. 4) capio. 5) inspecio. 6) desisto. *postquam destiti*, tibiam inflare sc. 7) excedo. 8) convoco. *convocatis ipsis*, abl. abs. 9) reor. 10) permovo.

totam susque deque vertērunt, sed nullam in ea thesaurum invenēre: vinea ergo egregie defossa 1), multo uberiores fructus produxit, atque ita divitias illis plurimas comparavit. Fabula declarat, quod thesaurus hominibus labor est.

10. Lepores et Ranae.

Lepores olim omnes in unum congregati 2), ita inter se gemebundi querebantur: Quid causae est igitur, quod tam misera haec nostra vita sit? Impune namque aquilae, homines, canes, omnes demum, nos usque ad interuiccionem persequuntur. Melius ergo nobis est omnino mori 3), quam vitam timore plenam tam pessime 4) ducere. Haec loquuti 5), in paludem, ut se in eam praecipites darent, impetum faciunt. Ranae vero eorum strepitu audito 6), extemplo in undas desiliere 7). Quod quum lepus, qui praecipat 8),

1) defodio. 2) congrego. 3) morier. 4) male. 5) loquor. 6) *strepitu audito*, abl. abs. 7) desilio. 8) praeco.

animadvertisset, ad ceteros conversus 1), *manete, sodales, inquit, nullumque malum vobis inferte; nam, ut videtis, haec animalia longe nobis sunt timidiora.* — Fabula declarat, miseros non parum levari, si etiam alios calamitatibus pressos 2) videant.

11. *Ranae.*

Dnae ranae incolebant paludem. Qua solis calore, ut aestate fieri solet, exsiccata 3), relictis 4) sedibus illis pergebant quaesitum 5) alias 6). Quumque venissent ad profundum puteum: *hic*, inquit una, *commode manebimus, neque facile alium locum meliorem invenire poterimus.* Cui altera respondit: *placere et sibi locum, sed arbitrari se prius quam illo desilirent 7), considerandum 8), si quo casu et illae aquae recessissent 9), qua ratione de puteo rediturae 10) essent.*

1) converto. 2) premo. 3) exsiccio. *qua exsiccata*, abl. abs. 4) relinquo. *relictis sedibus illis*, abl. abs. 5) quaero 6) sedes scil. 7) desilio. 8) considero. 9) recedo. 10) redeo.

12. *Formica et Columba.*

Formica sitiens descendit ad fontem, ut biberet; sed incidit forte in aquam. Columba quaedam in arbore sedens illi opem fert, ramo ex arbore dejecto 1). Formica ramum conscendit et servatur. Paulo post adfuit auceps, qui columbae insidiari coepit. Cui metuens formica, ad aucupem arrepsit 2) et ita vehementer eum momordit 3) ut arundines praedolore abjiceret; atque harum strepitu territa columba avolavit ac periculum vitavit.

13. *Mures et Felis.*

Multi mures in cavo pariete commorantes 4), contemplantur diu felem, quae capite demisso 5) et tristi vultu placide recumbebat. Tunc unus ex iis: *hoc animal admōdum benignum et mite videtur. Quid si alloquerer et familiaritatem cum illo*

1) deicio. *ramo... dejecto*, abl. abs. 2) arrepe. 3) mordeo 4) commoro. 5) demitto.

contraherem? Haec quum dixisset et propius accessisset 1) a fele captus et dilaceratus 2) est. Tunc ceteri hoc videntes secum dicebant: *non est profecto vultui temere credendum.*

14. Viator et Serpens.

Serpens ingenti saxo oppressus 3) rogavit, virum illac iter facientem, ut a se onus amoliretur, pollicitus 4) se illi ingentem thesaurum daturum 5), si hoc faceret. Quod quum vir iste mitis fecisset, non modo promissa non solvit, sed hominem occidere conatus est. Dum ita contendere, accidit ut vulpes illac transiret. Qui arbiter electus 6): *non possum, inquit, tantas lites inter vos componere, nisi viderim prius, quo pacto serpens saxo oppressus erat.* Quum ergo vir serpenti saxum imposuisset 7), dixit vulpes: *ingratum animal sub saxo relinquendum 8) sensio.*

1) accedo. 2) dilacero. 3) opprimo. 4) pollicor.
5) do. 6) eligo. 7) impono. 8) relinquo.

15. Leo et Vulpes.

Leo senio confectus 1), quum vires non suppetere ad victum parandum 2), callidum cepit consilium sustentandi 3) vitam. Itaque in antro, quasi periculoso morbo correptus 4), decumbens, quum ad ipsum visendum 5) passim animantes reliquae advenirent, prehensas 6) illas devorabat. Atque ita magna bestiarum multitudine a leone absumpta 7), accedit tandem et vulpecula ad antrum et ante illud subsistit, haesitans atque circumspiciens. Tum leo, *quid cesset, cur non adeat ad se,* rogat. At illa respondisse fertur: *quia vestigia me terrent, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.*

16. Hirundo et Aviculae.

Quum linum sereretur 8), monuit reliquas aviculas hirundo, secum ut eruerent semina, de quibus relictis 9) exoritura 10) esset her-

1) conficio. 2) paro. 3) sustento. 4) corripio. 5) viso. 6) prehendō. 7) absumo, *multitudine absumpta*, ablat. absol. 8) sero. 9) relinquo. 10) exorior.

ba nocentissima avium generi. Quod quum non probaretur, rursus enatam 1) primum et tenēram herbam ut evellerent, hortatur 2). Quumque vero neque hoc facere vellent, ipsa de silvis et solitudinibus ad hominum consuetudinem et in oppida se contulit 3). Paulo post matūrum linum carpitur, retia nectuntur, et capiuntur aviculae, sero deplorantes neglectum 4) salutare consilium.

17. *Vespertilio.*

Bellum gerebant volūeres cum quadrupedibus, modo his, modo illis vincentibus 5). At vespertilio, dubios eventus timens, ad illos se conferre solebat, quos superasse vidērat. Inter aves avem se profitebatur, inter quadrupēdes murem. Quum ad pacem rediissent aves et quadrupēdes, fraus utriusque generi apparuit. Damnatus igitur ab utriusque lucem refūgit, solis noctibus semper volans.

1) enasor. 2) hortor. 3) confero. 4) negligo. 5) vincō. *illis vincentibus*, abl. abs.

18. *Cervus in bovili latitans.*

Cervus latibūlis suis excitatus, ut venatorum tela effugēret, cocco timore proximam villam petiit, et opportuno se bovili condidit 1). Tum hos latenti: *desēpis*, inquit, *qui ultro ad necem cucurrēris* 2), *hominumque tecto vitam commisēris* 3). At ille supplex: *Vos modo*, inquit, *parcite* 4) *mihi; occasione datā rursus erumpam.* Quum advesperascēret 5), pabulum bubulcus affert, nec videt illam. Eunt et redēunt omnes rustici; nemo animadvertit. Transit etiam villicus: nec ille quidquam sentit. Tum gaudens cervus bobus quietis gratias agere coepit, quod hospitium sibi praestiterint 6) nec prodidērint 7) ipsum. Respondit unus: *salutem tuam cupimus quidem: sed si venērit ille, qui oculos centum habet, vita tua in magno periculo versabitur.* Interea ipse dominus a coena redit, et quia

1) condo. 2) curro. 3) comitto. 4) parco. 5) advesperascit. 6) praesto. 7) prodo.

boves macros esse nuper animadvertērat, accēdit ad praesēpe, et, *heus*, inquit, *cur pabūli parum est? cur desunt stramenta? tollite haec arānea*. Dum singula scrutatur, cervi quoque alta cornua conspicatus est. Convōcat igitur familiam, occīdi jubet cervum, praedamque tollit. Haec fabula docet, dominum vidēre plurimum in rebus suis.

II. *Niektóre podania o ludziach sławnych w starożytności, zdania lub odpowiedzi, mądre, dowcipne, żartobliwe, i t. d.*

1. Aristotēles de semet ipso in neutram partem loqui debere praedicabat; quoniam laudare se vani 1), vituperare stulti esset.

2. Solon qui Atheniensibus leges scripsit, dicebat, neminem, dum vivēret, beatum habēri posse; quod omnes ad ultimum usque diem ancipiti 2) fortunae obnoxii-essent.

1) domysl. nominis negotiam. 2) anceps.

3. Pythagōrae philosophi tanta fuit apud discipulos suos auctoritas, ut, quae ab eo audivissent, ea in dubitationem adducere non auderent. Rogati autem, ut causam redderent eorum, quae dixissent, respondebant: *Ipsam dixisse*. Ipse autem erat Pythagōras.

4. Democritus, cui pater ingentes divitias reliquerat 1), omne fere patrimonium suum civibus donavit, ne domesticarum rerum cura a philosophiae studio avocaretur.

5. Carneades usque ad extremam senectam nunquam cessavit a philosophiae studio. Saepe ei accidit, ut, quum cibi capiendi 2) causa accubisset 3), cogitationibus inhaerens 4), manum ad cibos appositos 5) porrigere oblivisceretur.

6. Plato discendi 6) cupiditate ductus Aegyptum peragravit, et a sacerdotibus illius regionis Geometriam et Astronomiam didicit 6). Idem in Italiam traiecit 8), ut ibi Pythagorae philosophiam disceret 9).

1) relinquo. 2) capio. 3) accumbo. 4) inhaereo. 5) appono. 6) discio. 7) traicio.

7. Aristippus cuidam, de multiplici eruditione glorianti 1), dixit: *quemadmodum non ii, qui plurimum edunt, melius valent his, qui sumunt, quantum opus est; ita non qui plurima, sed qui utilia sciunt, eruditi 2) sunt habendi.*

8. Gorgiae Leontino 3), qui eloquentia et eruditione omnes suae aetatis homines superare existimabatur, universa Graecia in templo Apollinis Delphici statuam auream collocavit.

9. Idem quum annum centesimum septimum ageret, interrogatus, *quapropter tam diu vellet in vita remanere?* respondit: *quia nihil habeo, quod senectutem meam accusem 4).*

10. Illustrissimi saepe viri humili loco nati 5) fuerunt. Socrates, quem oraculum Apollinis sapientissimum omnium hominum iudicavit, statuarii filius fuit. Euripides,

1) glorior. 2) erudio. 3) eodem ex ciuitate Leontium in Sycylia. *quia nihil habeo quod senectutem meam accusem*, ponieważ nie mam żadnej przyczyny narzekania na moją starość. 5) nascor.

poeta tragicus, matrem habuit, quae olera venditabat; et Demosthenis, oratoris eloquentissimi, patrem cultellos vendidisse narrant.

11. Quum Aeschylus Atheniensis, qui parens tragoediae dicitur, in Sicilia versaretur, ibique in loco aprico sederet, aquila testudinem glabro eius capiti immisit, quod pro saxo habuit. Quo ictu ille exstinctus 1) est. Euripides, qui et ipse magnum inter poetas tragicos nomen habet, a coena domum rediens a canibus laceratus 2) est.

12. Cyrus omnium suorum militum nomina memoria tenebat. Mithridates autem, Rex Ponti, duarum et viginti gentium, quae sub regno ejus erant, linguas ita didicerat, ut cum omnibus, quibus imperaret, sine interprete loqui posset.

13. Epaminondas, Thebanorum imperator, in pugna ad Mantinēam 3) graviter vulneratus 4) est. Quum animam recepisset 5),

1) exstinguo. 2) lacero. 3) Mantinea, miasto w Arkadyi. 4) vulnero. 5) recipio.

interrogavit circumstantes amicos, *an clypeus salvus esset* 1)? deinde, *an hostes fusi* 2) *essent*? Illi utrumque affirmaverunt. Tum demum hastam e corpore educi iussit. Quo facto statim exspiravit.

14. Idem tantâ fuit abstinentiâ et integritate, ut post plurîma bella, quibus Thebanorum potentiam incredibiliter auxerat 3), nihil in supellectili haberet, praeter ahenum et veru.

15. Lysander, dux Lacedaemoniorum, mihi item quendam, viâ egressum, castigabat. Cui dicenti, ad nullius rei rapiam se ab agmine recessisse 4), respondit: *ne speciem quidem rapturi* 5) *praebëas volo*.

16. Philippus, rex Macedoniae, praedicare solebat, se oratoribus Atheniensium maximam gratiam habere. *Nam conviciis suis, inquit, efficiunt, ut quotidie melior evadam* 6), *dum eos dictis factisque mendacii arguere conor*.

1) Stracié puklerz w potyczce, było naywiększą hańbą. 2) fundo. 3) augeo. 4) recedo. 5) rapio. do praebëas domysła się ut. 6) evado.

17. Ejusdem regis epistola fertur scripta 1) ad Aristotëlem philosophum, quâ filium sibi natum 2) esse nuntiavit. Erat illa epistola verbis concepta 3) fere his: *Filium mihi genitum* 4) *esse scito. Quod equidem diis habeo gratiam: non tam quod natus est, quam quod ei contigit* 5) *nasci temporibus vitae tuae. Spero enim fore, ut a te educatus* 6); *et eruditus* 7) *dignus evadat et nobis et rebus, quas ipsi relicturi* 8) *sumus*.

18. Quum Alexander quondam Macedonum quorundam benevolentiam largitionibus sibi conciliare conatus esset, Philippus eum his verbis increpuit 9). *Sperasne* 10) *eos tibi fidèles esse futuros, quos pecuniâ tibi conciliaveris? Scito, amorem non auro emi* 11), *sed virtutibus*.

19. Mausolus, rex Cariae, Artemisiam habuit conjugem. Haec Mausolo defuncto 12),

1) scribo. 2) nascor. 3) concipio. 4) gigno. 5) contingo. 6) educo. 7) erudio. 8) relinquo. 9) increpo. 10) *Sperasne*, zamiast, *num speras?* 11) emo. 12) defungor.

ad conservandam ejus memoriam, sepulcrum illud extruxit nobilissimum, ab ejus nomine appellatum 1), quod inter septem orbis terrarum miracula numeratur.

20. Marsyas, frater Antigoni, regis Macedoniae, quum causam haberet cum privato quodam, fratrem rogavit, ut de ea domi cognosceret 2). At ille, *in foro potius* 3), inquit. *Nam si culpam vacas, innocentia tua tibi melius elucescet; sin damnandus es, nostra justitia.*

21. L. Mummius, qui Corintho captam 4), totam Italiam tabulis staturisque exornavit, ex tantis manubiis nihil in suum usum convertit, ita ut, eo defuncto 5), non esset unde 6) ejus filia dotem acciperet. Quare Senatus ei ex publico aerario dotem decrevit 7).

22). Marcus Cato, Catonis Censorii filius, in acie cadente 8) equo prolapsus 9), quum

1) to jest, *Mausoleum*. 2) cognosco. 3) sc. de ea causa cognoscam. 4) capio. *Corintho captam*. abl. abs. 5) defungor. *eo defuncto*. abl. abs. 6) non esset unde... skrócone wyrażenie, zamiast: *non esset aliquid, ex quo*... 7) decerno. 8) cado. 9) prolabor.

se recollegisset 1), animadvertissetque gladium excidisse 2) vaginam, rediit in hostem: acceptisque aliquot vulneribus 3), recuperato 4) demum gladio, ad suos reversus 5) est.

23. M. Curius, quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset 6), consumsit 7) extremum tempus aetatis in vita rusticam. Eidem ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent 8), repudiati 9) ab eo sunt. *Non enim aurum habere, praeclarum sibi videri, dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare.*

24. Cornelia Gracchorum mater, quum Campana matrona ornamenta sua, illo seculo pulcherrima, ipsi ostenderet, traxit 10) eam sermone, donec e schola redirent liberi. Tum, *et haec*, inquit, *mea sunt ornamenta.*

25. Xenocrates, quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta 11) attulissent 12),

1) recolligo. 2) excido. 3) *acceptis... vulneribus*. abl. abs. 4) recuperō. *recuperato... gladio* abl. abs. 5) revertor. 6) triumpho. 7) consumo. 8) affero. 9) repudio. 10) traho. 11) Co jest *talentum, mina*, patrz w słowniku. 12) affero.

quae erat pecunia temporibus illis maxima, legatos ad coenam invitavit, iisque apposuit tantum quod satis esset, nullo apparatu. Quum postridie rogarent eum, cui numerari jubēret: *Quid? vos hesternâ, inquit coenulâ non intellexistis* 1), *me pecuniâ non egēre?* Quos quum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.

26. Quum Athenis quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locus ei a suis civibus non est datus. Quum autem ad Lacedaemonios accessisset 2), qui legati quum essent, in loco certo consederant, consurrexēre omnes et senem illum sessum 3) recepērunt 4). Quibus quum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixit ex iis quidem: *Athenienses sciunt, quae recta sint, nos vero facimus.*

27. Quum Callieratidas, Lacedaemoniorum classi praefectus 5), pecuniâ maxime indigē-

1) intelligo. 2) accēdo. 3) sedēo. 4) recipio. 5) praeficio.

ret ad annonam nautis comparandam 1), accessēre ad eum quidam amici Lysandri, et, oblati 2) talentis quinquaginta, postulaverunt unum ex inimicis sibi condonari necandum 3). Quos ille, quia aequitatem pecuniae anteponebat, valēre jussit.

28. Simonides poeta, fretus eâ, quae sibi cum Themistocle erat, familiaritate, petiit ab eo aliquid injusti. Quod negans Themistocles dixit ei: *neque tu, o Simonides, bonus poeta fueris, si carmina contra poëticae artis leges condideris* 4); *neque ego bonus magistratus, si quid contra patriae leges tuâ causâ fecerim.*

29. Dum Publ. Rutilius Rufus, amici cujusdam injustae rogationi resistēret 5), atque is per summam indignationem dixisset: *Quid ergo mihi opus est amicitia tuâ, si, quod rogo, non facis?* Imo, respondit Rutilius, *quid mihi tuâ, si propter te aliquid inhoneste facere me oporteat.*

1) comparo. 2) offero. *oblatis talentis*, abl. abs. 3) neco. 4) condo. 5) resisto.

30. Cajus Julius Caesar, qui victoriâ civili clementissime usus est, quum scrinia deprehendisset 1) epistolarum ad Pompeium missarum 2) ab iis, qui videbantur aut in diversis aut in neutris fuisse partibus, legere noluit, sed combussit 3), ne forte in multos gravius consulendi 4) locum darent.

31. Xantippe, Socrâtis uxor, morosa admodum fuisse fertur. Quam ejus indolem quum perspexisset 5) Alcibiâdes, Socrâtem interrogavit, quid esset, quod muliërem tam acerbam et jurgiosam non exigëret 6) domo. Tum ille: *quoniam, inquit, dum illam domi perpetior, insuesco, ut ceterorum quoque foris petulantiam et iniurias facilius feram.*

32. Socrates quum vidëret Alcibiâdem ob divitias elatum 7) animum gerere, et agrorum multitudine superbire, adduxit ad locum, ubi tabula, descriptionem terrae complectens, suspensa 8) erat, eumque rogavit,

1) deprehendo. 2) mitto. 3) comburo. 4) consulo. 5) perspicio. 6) exigo. 7) effëro. 8) suspendo.

ut Atticam terram ibi requireret. Quam quum reperisset 1), suos fundos eum jussit inquirere, et quum respondisset nusquam ibi pictos 2) esse: *horum igitur, inquit, possessione te effers 3), qui nulla pars sunt terrae?*

33. Qualis cuiusque animi affectus esset, talem esse hominem Socrates disserebat: qualis autem homo ipse esset, talem ejus esse orationem: orationi autem facta simillima, factis vitam.

34. Cum multa in conventu vitia collegisset in Socratem Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere 4) profitebatur, derisus 5) est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscërent 6). Ab ipso autem Socrate sublevatus est, quum illa sibi vitia inesse; sed ratione a se dejecta 7) diceret.

35. Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiarium dicebat, si quis-

1) reperio. 2) pingo. 3) effëro. 4) perspicio. 5) derideo. 6) agnosco. 7) dejicio.

que id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset.

36. Ptolemaeo peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis 1), quum cibarius panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius.

37. M. Crassus orator dicebat: Quae naturam aut fortunam darentur 2) hominibus, in iis se vinci 3) posse animo aequo pati 4). Quae autem ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se pati vinci non posse.

38. Quum Lacedaemone coenavisset Dionysius, negavit se jure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum 5). Tum is qui illa coxerat 6): *minime mirum; condimenta enim defuerunt. Quae tandem? inquit ille. Labor in venatu, sudor, cursus, fames, sitis; his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur* 7).

39. Periclem in foro publica negotia tra-

1) consequor. comitibus non consecutis, abl. abs.
2) do. 3) vinco. 4) patior. 5) delecto. 6) coquo. 7) condio.

ctantem 1) improbus et petulans homo maledictis insectabatur 2). Quae quum ille patienter ferret, nec ullum adeo verbum responderet 3), diem totum perseveravit insectatio. Vespere vultu gressuque placido domum reversus est Pericles, insequente 4) eodem nebulone, et omnibus contumeliis eum impetente 5). Aedes ingressurus 6), quum jam nox esset, uni e servis suis mandavit, ut accenso 7) lumine hominem comitaretur ac reduceret domum.

40. Accessit 8) ad Aristippum philosophum paterfamilias, rogavitque ut filium suum suscipere erudiendum 9). Quum vero ille pro mercede petisset quingentas drachmas, pater deterritus 10) pretio, quod ignaro avaroque homini nimium videbatur: *tanti* 11), dixit, *emere mancipium possum*. Tum philosophus: *eme, inquit, et habebis duo* 12).

1) tracto. 2) insector. 3) repōno. 4) insequor. 5) impeto. 6) ingredior. 7) accendo. 8) accedo. 9) erudio. 10) deterrō. 11) tanti domysl. pretii. 12) mancipia scil.

41. Themistocles fertur Seriphio 1) cui-
dam in iurgio respondisse, quum ille dixis-
set, non eum suâ, sed patriae gloriâ splen-
dorem assequutum 2): *non hercule*, inquit,
si ego Seriphus essem, nobilis; nec tu, si
Atheniensis esses, clarus unquam fuisses.

42. Quum inter duos scelestos iudex esset
Philippus, Macedoniae rex, auditâ causâ pro-
nuntiavit: *ut alter e Macedonia fugeret,*
alter illum insequeretur. Quo faceto indi-
cio utrumque exsulem esse iussit.

43. Sophista quidam ostentaturus 3) apud
Diogenem acumen ingenii, ita ratiocinatus 4)
est: *Quod ego sum, tu non es.* Quum an-
nuisset 5) Diogenes: *ego*, inquit, *sum ho-*
mo, tu igitur non es. Tum Diogenes: *a*
me, inquit, *incipere, et recte collegēris* 6).

44. Pisistratus, quum conviva bene potus
ei maledixisset, irritantibus amicis ad poe-
nam de conviva sumendam 7), dixisse fer-

1) Z wyspy Seriphos (dziś Serfo), iedney z wysp
Cykladami zwanych. 2) assequor. 3) ostento. 4)
ratiocinor. 5) annuo. 6) colligo. 7) sumo.

tur: *non magis illi succensēo, quam si quis*
obligatis 1) *oculis in me incurisset* 2).

45. Dionem e convivio redeuntem, maledi-
cus quidam insectabatur, nulla non convicia
in eum fundens 3). Tacebat interea Dion.
Cui iam domum ingressuro, quum convicia-
tor dixisset: *nihilne ad haec respondes?*
Nihil prorsus, inquit Dion.

46. Siculus 4) quidam, cui Praetor Scipio
patronum causae dabat amicum suum, ho-
minem nobilem, sed admōdum stultam:
Quaeso, inquit, *Praetor, adversario meo*
da 5) *istum patronum, deinde mihi nem-*
inem dedēris.

47. Orator quidam malus quum in epilō-
go misericordiam se movisse 6) putaret, post-
quam assēdit 7), rogavit Catulum, videre-
turne misericordiam movisse? *ac magnam*
quidem, inquit; *neminem enim puto esse*
tam durum, cui non oratio tua miseran-
da 8) *visa sit.*

1) obligo. obligatis oculis, abl. abs. 2) incurro. 3)
fundo. 4) Siculus, Sycyliczyk, mieszkaniec Sy-
cylia. 5) do. 6) movēo. 7) assīdo. 8) miseror.

48. Quum Tarento amisso 1), arcem tamen Livius Salinator retinisset 2), et aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset 3), rogaretque eum Salinator, ut meminisset, operâ suâ se Tarentum recepisse; *quidni*, inquit, *meminērim? nunquam enim recepissem, nisi tu perdidisses* 4).

49. Patrono malo, quum vocem in dicendo obtundisset 5), suadebat 6) Grauius, ut mulsum frigidum bibēret 7), simul ac domum redisset. *Perdam* 4), inquit, *vocem, si id fecero. Melius est, inquit, quam reum.*

50. Maximo Consule mortuo die Decembris ultimo, Caesar consulem hora septima 8) in reliquam partem diēi reuertiaverat Caninium. Quem quum plerique irent salutatum 9) de more: *festinēmus* 10), inquit Cicero, *prius quam abeat magistratu. De eodem Caninio scripsit Cicero; fuit mirifica vigilantia Caninius, qui suo toto consulatu somnum non vidērit.*

1) amitto. 2) retineo. 3) recipio. 4) perdo. 5) obtundo. 6) suadeo. 7) bibo. 8) patrz. w Słow. hora. 9) saluto. 10) festino.

51. Homo quidam superstitiosus reperit caligas suas a soricibus arrosas 1). Hoc ostento turbatus consuluit Catonem, quid mali portendēret 2)? Ille vero: *non est, inquit, ostentum, quod sorices arrosērunt* 1) *caligas; at vero si caligae arrosissent* 1) *sorices, id fuisset ostentum.*

52. Scipio Nasica, quum ad poētam Ennium venisset, eique, ab ostio quaerenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse: Nasica sensit 3), illam domīni jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus, quum ad Nasicam venisset Ennius, et cum a janua quaereret: exclāmat Nasica: *se domi non esse. Tum Ennius: Quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nasica: Homo es impudens: ego, quum te quaerērem, ancillae tuae credidi*, 4), *te domi non esse: tu mihi non credis ipsi?*

1) arrodo. 2) portendo. 3) sentio. 4) credo.

III. *Myśli z dzieł Cycerona wyjęte.*

1. A diis immortalibus sunt nobis agendi 1) capienda 2) primordia.

2. Deus est qui viget, qui sentit, qui meminit, qui praevidet, qui regit et moderatur, et est aeternus.

3. De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat 3), tamen habendum 4) sciat.

4. Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, quam coelum suspeximus 5), coelestiaque contemplati 6) sumus, quam esse aliquod numen, quo haec regantur 7).

5. Commoda quibus utimur, lucem quam fruimur, spiritum quem ducimus, a Deo nobis dari et impartiri videmus.

6. Nihil est, quod Deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo.

7. Sit hoc a principio persuasum homini-

1) ago. 2) capio. 3) decet. 4) habeo. 5) suspicio. 6) contempior. 7) rego.

bus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos: eaque, quae gerantur 1), eorum geri 1) iudicio ac numine, eosque optime de genere hominum mereri 2): et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, quam mente, quam pietate colat religionem, intueri 3), piorumque et impiorum habere rationem.

8. Deorum providentia mundus administratur: iidemque consulant rebus humanis, neque solum universis, verum etiam singulis.

9. Ignorare Deus non potest, qua quisque mente sit.

10. Ex ipsa vita discedimus, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo: commorandi enim nobis natura diversorium, non habitandi dedit.

11. Sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc.

1) gero. 2) mereor. 3) intueor.

12. Innumerabilia parentibus, omnia diis immortalibus debemus.

13. Parentes carissimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, civitas tradita est.

14. Vim neque parenti, neque patriae afferre oportet.

15. Solon, quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit: se id neminem facturum putasse.

16. Tantus est innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur.

17. Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi 1) autem, er-

*) labor.

rare, nescire, decipi 1), et malum et turpe ducimus.

18. Optimus et gravissimus quisque confitetur 2) se multa ignorare, et multa sibi etiam esse discenda 3).

19. Suavitate scientiae, nihil est homini jucundius.

20. Studiis ac litteris res secundae ornantur, adversae adjuvantur.

21. Ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus.

22. Litterae discuntur 3) facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et habeas, qui docere fideliter possit, et scias ipse etiam discere.

23. Diligentia in omnibus rebus plurimum valet; haec praecipue colenda 4) est nobis, haec semper adhibenda; hac nihil est, quod non assequatur: qua una virtute omnes reliquae virtutes continentur.

1) decipio. 2) confiteor. 3) disco. 4) colo.

24. Quae bona sunt, fieri meliora possunt doctrinâ : et quae non optima, acûi tamen aliquo modo et corrigi possunt.

25. In omni disciplina, infirma est artis praeceptio sine summa assiduitate exercitationis.

26. Etsi utile est subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto 1) spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere.

27. Non potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assequutum.

28. Stultitia majus est malum, quam omnia mala et fortunae et corporis.

29. Est proprium stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

1) sumo. *sumpto spatio*, abl. abs.

30. Nihil est homini prudentiâ dulcius, aut sagaci ac bonâ mente melius.

31. Non potest esse jucunda vita, a qua absit prudentia.

32. In prudentia duo vitia vitanda 1) sunt : unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur. Quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.

33. Rei militaris virtus praestat ceteris omnibus. Omnes urbanae res et omnia nostra studia latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis. Omnia denique, quae sunt in imperio et in statu civitatis ab iis defendi et firmari putantur, qui militari virtute antecellunt.

1) vitio.

54. In rebus magnis, memoriâque dignis, consilia primum, deinde acta, postea eventus spectantur.

55. Bene praecipiant, qui vetant quidquid agere, quod dubites, aequum sit, aut iniquum.

56. Domus ea quae ratione geritur, omnibus instructior est rebus, et apparatus, quam ea, quae temere, et nullo consilio administratur.

57. Hoc plerumque facimus, ut consilia eventus ponderemus: et cui bene quid processerit, multum illum praevidisse; cui secus, nihil sensit 1) dicamus.

58. Nemo est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus 2) aut doctus 3) est, cum grata recordatione in mente versetur.

1) sentio. 2) alo. 3) doceo.

59. Gloria est illustris et pervagata multorum et magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

40. Vera gloria radices agit 1), atque etiam propagatur: ficta 2) omnia tanquam flosculi celeriter decidunt: nec simulatam quidquam potest esse diuturnam.

41. Honos alit artes omnesque incendimur 3) ad studia gloriâ: iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur.

42. Trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloriâ ducitur.

43. Vix invenitur, qui laboribus susceptis 4), periculisque aditis 5), non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

44. Quis tantos labores diurnos, nocturnosque, domi, militiaeque susciperet, si iisdem finibus gloriam suam, quibus vitam, esset terminaturus 6)? sed optimi cuiusque a-

1) patrz w Słowniku do Wypisów pod słowem ago.
2) fingo. 3) incendo. 4) suscipio. laboribus susceptis, abl. abs. 5) adeo. periculis aditis, abl. abs. 6) termino.

nimus maxime ad immortalē gloriam nititur 1).

45. Verum decus in virtute positum 2) est.

46. Virtus est per se ipsa laudabilis, et sine qua nihil laudari potest.

47. Virtutem necessario gloria sequitur.

48. Nihil est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum 3): quippe cum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.

49. Honestum est, quod, detractâ 4) omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve, possit ipsum propter se iure laudari.

50. Si non ipso honesto movemur, ut viri boni simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni.

51. Illud honestum, quod in alio cernimus, nos movet: atque illi, in quo id inesse

1) nitor. 2) pono. 3) diligo. 4) deträho. *deträcta ... utilitate, abl. abs.*

videtur, amicos facit. Omnis enim virtus nos ad se allicit, facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videtur.

52. Ut pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt; sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine et constantia, moderatione omnium dictorum atque factorum.

53. Astutiae tollendae sunt, eaque malitia, quae vult quidem vidēri se esse prudentiam, sed abest ab ea, distatque plurimum: nec ulla perniciēs vitae major inveniri potest, quam quum in malitia inest simulatio,

54. Moderari animo et orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, et tenere in sua potestate motum animi et dolorem, etsi non

est perfectae sapientiae, tamen non est mediocris ingenii.

55. Quum praecipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coercet at temeritatem.

56. Semper ita vivamus, ut rationem nobis reddendam 1) arbitrēmur.

57. A recta conscientia transversum unguem non oportet quenquam in omni vita sua discedere.

58. Tantum cibi et potionis adhibendum est, ut reficiantur vires, non opprimantur.

59. Cibi condimentum est fames, potionis sitis.

60. Mente recte uti non possumus, multo cibo et potione completi.

1) reddo.

61. Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, et laudem maximam consequens, verecundia est.

62. Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum.

63. Justitia virtus omnium est domina et regina virtutum.

64. Justitia sine prudentia plurimum potuit: sine justitia nihil valebit prudentia.

65. Pietate adversus Deos sublata 1), fides etiam et societas generis humani, et una excellentissima virtus, justitia, tollatur, necesse est.

66. Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando.

67. Nihil est tam regium, tam liberale, tamque munificum, quam opem ferre sup-

1) tollo. pietate sublatâ, abl. abs.

plicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines.

68. In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam magnopere, fastidium, arrogantiamque fugiamus.

69. Amicitiam omnibus rebus humanis anteponamus. Nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas.

70. Quae videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, et caetera generis ejusdem, haec amicitiae nunquam anteponenda sunt.

71. Sine amicorum benevolentia, neque in secunda fortuna quisquam vivere potest.

72. Nulla potest esse jucunditas sublatâ 1) amicitia.

73. Quis est, proh Deum fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligat quenquam, nec ipse ab ullo diligatur, circum-

1) tollo.

fluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere?

74. Quoniam res humanae fragiles, caducaeque sunt, semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus, et a quibus diligamur.

75. Ea est jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit.

76. Omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti.

77. Vetus est lex illa justae veraeque amicitiae, ut idem amici semper velint: neque est ullum amicitiae certius vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum.

78. Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius sequenti 1) sunt, hi simul atque fortuna elapsa 2) est, devolant omnes.

79. Una ista sit cautio, atque una provisio in amicitia, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non indignos. Digni autem sunt

1) sequor. 2) clabor.

amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur.

80. Ut monere et moneri proprium est verae amicitiae, et alterum libere facere, non asperere: alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum, nullam in amicitis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditias, assentationem.


81. Cavendum est ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus: in quo falli facile est; tales enim nos esse putemus, ut jure laudemur.

82. Assentatio quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, atque eam delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur, et se maxime delectet.



83. Bene praecipit Ennius, ut quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: non prohibere aquam profluentem: pati

ab igne ignem capere: si quis velit consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta.




84. In collocando beneficio, hoc maxime officii est, ut quisque opis maxime indigeat, ita ei potissimum opitulari. Quod contra fit a plerisque: a quo enim plurimum sperant, etiam si ille iis non egeret, tamen ei potissimum inserviunt.

85. In referenda 1) gratia debemus imitari agros fertiles, qui plus multo adferunt, quam accepērunt. Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos 2), non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt?

86. Cui gratia referri non potest, quanta debetur, habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt.

87. In ingratitude nihil mali non inest.



1) refero. 2) prosum.

88. Omnis actio vacare debet temeritate et negligentia.

89. Gravior et validior est decem virorum honorum sententia, quam totius multitudinis imperitae.

90. Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

91. Danda est diligenter opera, ut hominum aures optimo de nobis sermone compleantur.

92. Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium.

93. In virum bonum non cadit mentiri emolumentum sui causa.

94. Qui semel a veritate deflexit 1), hic non majore religione ad periurium quam ad mendacium perducitur consuēvit. Et quae poena a diis immortalibus periurio, haec eadem mendacio constituta est.

1) deflecte.

95. Ubi quis semel peieraverit, ei credi potest, etiamsi per plures deos juret, non convenit.

96. In primis provideamus, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus: quod maxime tum solet evenire cum studiose de absentibus detrahendi 1) causa, aut perridiculum, aut severe, aut maledice, contumelioseque dicitur.

97. Quoties aliquid aut dicimus, aut loquimur toties de nobis judicatur.

98. Diligentissime linguam continere mihi virtus interdum non minor videtur, quam omnino non irasci.

99. Non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus est.

100. Difficile est dictum, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis.

1) detraho.

101. Minime sibi quisque notus est, et difficillime de se quisque judicare potest.

102. Invidentia, est aegritudo ex alterius rebus secundis.

103. Semper ira procul absit, cum qua nihil recte, nihil considerate fieri potest. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, neque iis, qui adsunt, probari.

104. Res familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitude: conservari autem diligentia et parsimonia, iisdem etiam rebus augeri.

105. Rei familiaris amplificatio nemini nocens non est vituperanda 1), sed fugienda 2) semper injuria.

1) vituperō. 2) fugio.

106. Detrahère aliquid alteri, et hominem hominis incommodo sum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpōri accidere, aut rebus externis.

107. Conscientia bene actae 1) vitae, multorumque benefactorum recordatio, incunctissima est.

108. Magna est vis conscientiae in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commisērint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint.

109. Vir bonus est, qui prodest quibus potest, nocet autem nemini.

110. Vir bonus non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audēat praedicare.

1) ago.

111. Non est res ulla tanti 1), aut commodum ullum tam expetendum 2), ut viri boni et splendorem et nomen amittas.

112. Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem: impii saepe parvo.

113. Homines hominum causa sunt generati, ut ipsi inter se, alii aliis, prodesse possent.

114. Oportet hominem ab homine, ob hoc ipsum, quod homo sit, non alienum videri.

115. Hominum duo sunt genera: alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat.

116. Hoc uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus.

1) domysl. pretii. 2) expeto.

117. Nulla re longius quam ratione absumus a natura ferarum: in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus: justitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus; sunt enim rationis et orationis expertes.

118. Qui aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi, rationem non habeat: aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, ineptus dicitur.

119. Habenda est ratio diligenter quos imitemur, quorum similes velimus esse.

120. Adolescentia significat ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis 1) fructibus, aut percipiendis 2) accommodata sunt.

1) demeto. 2) percipio.

121. Qui adolescentum peccatis ignosci putant oportere, falluntur: propterea quod aetas illa non est impedimento bonis studiis.

122. Cum juvenes relaxare animos et dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminērint verecundiae.

123. Ludo et joco uti illis quidem licet, sed sicut somno et quietibus caeteris, tum, quum gravibus se hisque rebus satisfecerimus.

124. Verus, justus, atque honestus labor, honoribus, praemiis, ac splendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur.

125. Improbis poena statuenda est: nec minor vero iis, qui secuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces.

126. Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil



156144